

negotia confecerat ; pene solus imperii molem sustinuerat ; maximi , atque infraicti animi documenta præbuerat : morum gravitate , quam subtristis quidam , & cogitabundus adspexitus comitabatur , ad magna , atque eximia agenda formatus ; nil , nisi de maximis , semperque seriiis rebus cogitare , atque ab omnibus voluptatum illecebris alienus , severam quamdam modestiam spirare videbatur . Compositi animi illud non mediocre argumentum extitit , quod vehementer musica oblectaretur ; ut compertum sit , nullum ea tempestate in Italia fuisse , qui illo magis in ea liberali facultate excelleret .

Pontificatus initio in fensum in Gallos animum , veteremque sibi infixam animo cogitationem inesse Italia Gallos pellendi , non obscure significavit : in Italiae pacem vehementer propensus , Franciscum Sfortiam in Mediolanensi imperio retinendum esse , ut ea firmioribus radicibus coalesceret , censebat : verum quot , quantisque illius Pontificatu convulsa ruinis Italia , quot Romana urbs religionis sedes perturbationibus jactata , ac concussa fuerit , antequam pax affulgeret , suo loco pluribus nobis erit explicandum . Senatus Venetus Clementi primum per literas gratulatus ; mox Oratores octo designavit , qui publico nomine consuetum officii munus obirent : fuere hi Thomas Contarenus , Hieronymus Pefareus , Marcus Dandulus , Laurentius Bragadenus , Nicolaus Teopoulos , Dominicus Venerius , Aloysius Bonus , Vincentius Cappellus . Mediolanensi obsidione soluta , e Gallia Narbonensi , atque ex Allobrogicis Alpibus summo studio milites cogere Gauferius enititur ; Helvetiis instantissime missionem postulantibus , persolutis stipendiis , abeundi facultas concessa ; tormenta bellica trans Ticinum abducta : cum reliqua quatuor millium peditum Helvetiorum manu , ceterisque copiis in hibernis commorari statuit ; ut interim quæ a Rege subsidia mitti quotidie afferebatur , adventarent ; ac , ne omnino belli consilia omisisse videretur , ad Aronam in Verbani lacus finibus munitissimum arte , naturaque oppidum , animum adjectit , Rentioque Ceriti viro impigro , plæclarisque rebus in bello gestis insigni , ut cum septem Italorum peditum milibus summa vi illud aggrediatur , imperat . Ceres nihil moratus , citato gradu Aronam profectus , neque feliciorem , neque faci-

1523

Oratores
Veneti ad
Pontificem
designati.

Rentius Ce-
res frustra
Aronam ag-
reditur.